



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

ARTICULUS III.

An & quomodo concupiscentia causet Involuntarium.

SUMMARI A.

1. Notio & divisio concupiscentia.
2. Concupiscentia aliquando minuit & tollit voluntarium perfectum.
3. Auet tamen voluntarium imperfectum.
4. Nunquam per se causet involuntarium.
5. Causat tamen aliquando per accidens.
6. Motus primo primi non sunt peccaminosi.
7. Diversitas inter passionem metus & concupiscentia.

§. I.

Resolutio Doct. Angelici.

Concupiscentia hoc loco est passio appetitus sensitivi circa bonum, sive pertineat ad partem concupiscibilem, quae est circa bonum simpliciter, ut amor, desiderium, gaudium: sive ad partem irascibilem, quae est circa bonum arduum, ut ira, spes, audacia, excepto timore. Dividitur in antecedentem & consequentem [intellige respectu voluntatis actualis] Antecedens est actus appetitus sensitivi circa bonum sensibile suam vehementiam secum rapiens voluntatem ad idem bonum amplectendum. Consequens est actus appetitus sensitivi circa bonum sensibile, excitatus & impetratus ab ipsa voluntate praevie operante. Ista nunquam causet involuntarium, siquidem ab ipso voluntatis actu causetur. De illa vero influitur quaestione

CONCLUSIO. *Concupiscentia, [1.] est aliquando minuat, aut omnino tollat voluntarium perfectum, seu liberum, [2.] auet tamen voluntarium imperfectum, [3.] & nunquam per se causet involuntarium etiam secundum quid.* Ita S. D. hic a. 7.

Ratio primi est: quia passio vehemens ira potest turbare iudicium rationis, ut parum vel penitus non attendat ad proportionem finis & mediorum, imò ut ne quidem amplius habeat cognitionem indifferentem: sed in priori casu minuitur, in posteriori tollitur voluntarium perfectum seu liberum.

Ratio secundi est, quia actus, cum majori intentione procedens a voluntate, est magis voluntarius secundum rationem voluntarii saltem imperfecti, quae plus non requirit, quam procedere ab appetitu cum aliqua cognitione finis. Atqui voluntas ex impulsu concupiscentiae tendens in

aliquod objectum, cum majori intentione in illud fertur, quam si nulla passione moveretur: ergo.

Ratio tertii est: quia voluntarium etiam secundum quid, tantum potest provenire ex aliqua fuga mali adversantem voluntati: atqui concupiscentia nullam rationem mali offert voluntati, sed praecise inducit in amplexum boni delectabilis: ergo.

Dixi tamen, *per se* non causari involuntarium; per accidens quippe causari potest, ut primo, si quis ex ira, vel amore eligat media molesta & amara, ducat noctes insomnes, committat se periculis, &c. Secundo, si operando ex concupiscentia causet remorsum conscientiae; hoc tamen involuntarium respectu concupiscentiae censetur esse per accidens, quia non oritur ex formali ratione objecti delectabilis quod concupiscentia respicit, dum e contra tristitia, quam quis patitur ob merces in mare projectas, oritur ex formali ratione objecti, hoc est, mali, quod metus respicit.

§. II.

Corollaria.

Colliges primo. Viciosos motus primo primos voluntatis ex passione concitatos non esse peccaminosos, quamdiu non accedit vel formalis vel interpretativa advertentia rationis; tunc enim deest ipsis libertas: quae primum verò accedit advertentia rationis, sunt peccaminosi, nisi quantum ratio contradicat; quia tunc non tantum sunt voluntarii voluntario imperfecto, sed etiam libero, ipsaeque passiones sunt ex antecedentibus consequentes & voluntariae saltem interpretative.

Colliges secundo. Diversitatem inter modum quo voluntas operatur ex metu & ex concupiscentia. Nam metus est per se inductivus voluntatis ad electionem minoris mali praemajori malo: unde cum malum per se displiceat voluntati, in ipsa causet nollicitatem illius mali quod eligitur. E contra concupiscentia est inductiva voluntatis ad electionem boni quatenus suam bonitatem & suavitatem allicientis, quae per se non est apta fundare nollicitatem, aut tristitiam, sed tantum rationem alicuius mali per accidens conjuncti, quod concupiscentia superare non potest.

ARTICULUS IV.

An & quando ignorantia causet involuntarium?

SUMMARI A.

1. Ignorantia antecedens.
2. Ignorantia consequens.
3. Ignorantia concomitans.
4. Ignorantia antecedens est causa involuntarii simpliciter.
5. Ignorantia consequens non causet involuntarium simpliciter, 6. Sed secundum quid.
7. Objectiva diluuntur.
8. Ignorantia concomitans causet involuntarium.
9. Objecta solvuntur.
10. Ignorantia consequens alleviat gravitatem peccati.
11. Ignorantia invincibilis tam antecedens, quam concomitans excusat a culpa.
12. Ad ignorantiam invincibilem requiritur inculpabilis oblivio vel inadvertentia.
13. Invincibilis ignorantia quandoam invalides contrahit & vota?

K 2

§. I. Ex-